81.

Doc. Dr. Jan Obenberger, Praha:

DE NONNULIS GENERIS CALLIMICRA H. DEYR. (COL. BUPR.) SPECIEBUS NOVIS.

NOVÉ DRUHY KRASCŮ Z RODU CALLIMICRA H. DEYR.

Zástupcové rodu Callimicra jsou drobní krasci (nikdy nepřesahují 5 mm délky) podlouhlého těla, patřící do skupiny Trachydinů. Všechny tyto druhy jsou domovem v neotropické oblasti, kde jich žije veliký počet. Jsou to druhy těla vespod zpravidla černého, na vrchu však hýřící nejkrásnějšími barvami kovovými. Jsou vždy hladcí a podlouhlí. Pro nepatrnou velikost a patrně také pro jich hbitost unikají velmi často pozornosti sběratelů a tak patří dosud ve sbírkách, a to i v největších, celkem k velikým vzácnostem. O některých druzích bylo zjištěno, že jsou škůdci tabáku. Larvy jich žijí asi, jako u všech Trachydinů v listech různých tropických rostlin, kde způsobují charakteristické hyponomy.

V tomto pojednání popisuji řadu nových těchto vzácných a krásných brouků, jichž typy uloženy jsou v mé sbírce v Národním museu.

Jeden z krásných těchto druhů dovolil jsem si popsati k poctě váženého našeho příznivce a Mecenáše zoologického oddělení Národního musea, pana Cyrilla Bartoně z Dobenína, velkoprůmyslníka a velkostatkáře v Náchodě, který benevolentní podporou umožnil opětovně podniknouti odborným silám zoologického oddělení Národního musea výpravu na Balkán, odkud přineseny byly opětovně neobyčejně rozsáhlé a cenné sběry, které velice podstatně rozmnožily naše sbírky národní.

1. **Callimicra Semenovi** n. sp.

Hab.: Brasilia. Long.: 4·8, lat.: 2·4 mm.

Species magna, robusta, ovalis, obscure purpurea, superficiei parte externa alutacea, medio nitida et obscuriore. Capite convexo, medio haud lineatim impresso, fronte alutacea, sparse, distincte punctata, parte frontis interoculari latitudine 1¼ longiore. Thorace longitudine media circiter 2½ latiore, summum latitudinis in basi attingente, angulis posticis versus humeros productis, lateribus a basi usque ad angulos anteriores in arcu regulari rotundatim attenuatis, margine antico satis leviter arcuatim emarginato; parte lata laterali subdepressa, laetius purpureoviolacea, distinctissime alutacea, parte media nitidiore, convexa, sparse distincte punctata. Scutello satis magno. Elytris latitudine circiter $1^3/_5$ longioribus, usque ad medium parallelis, dein versus apicem in curva regulari arcuata rotundatis, margine lateroposteriori distincte serrulato; superficie modice convexa, disco nitidiore et similiter uti prothorax sculpto, elytris in basi foveola lata basali depressiuscula atque depressionibus lateralibus, scilicet una posthumerali atque altera postmediana laterali, ambobus haud profundis notatis; sutura postice, ante apicem subdepressa partique vicina apicis leviter subelevata; etiam ante tertia parte apicali externe, versus secundam lateralem depressionem elytris leviter subelevatis. Corpore subtus pedibusque nigris.

Species egregia, valde insignis. Dom. A. Semenov Thian-Šanskij, entomologo Sanctae Rossiae quam maxime merito in honorem denominata.

2. **Callimicra plagidorsis** n. sp.

Hab.: Paraguay: Santa Trinidad, IX. 1913. Assunción. Long.: 3·7, lat.: 1·9 mm.

Species subdepressa, lata, e vicinitate C. Melichari Obenb. Obscure cupreopurpurea, rubroviolacea vel cupreoaenea, elytrorum disco late nigrescente et nitente, partibus cupreis alutaceis. Ab illa Melichari Obenb. uti sequitur diversa: corpore minus lato, minus brevi, magis parallelo. Capite minus convexo. Thorace medio, ante basi nullo modo infuscato; capite et thorace alutaceis, hoc sparse mediocriter punctato, lateraliter versus anticem paullo fortius attenuato. Scutello nigro. Elytris latitudine 1½ longioribus, usque ad medium parallelis, dein versus apicem longe curvatim attenuatis et marginibus lateroposterioribus subtiliter serrulatis. Plaga glabra, nitida obscura media elytrali quam apud Melichari maiore, margine claro alutaceo minus regulari, angustiore, subcoriaceo; plaga hac lateraliter haud distincte delimitata et in tertia parte longitudinis posterioris elytrorum externe subdilatata, parte interna discali elytrorum multo fortius et distinctius punctata.

3. **Callimicra plagidorsis** var. **splendidifrons** n. var.

Hab.: Argentina: Missiones.

A typo colore medii thoracis obscure brunneo, plaga glabra elytrali nigroviridi atque praecipue fronte et angulis anticis thoracis laete viridibus differt.

4. **Callimicra chloroptera** n. sp.

Hab.: Brasilia. Long.: 3·7, lat.: 1·15 mm.

Species elongata, subparallela, satis gracilis, nitida. Capite, thorace scutello laete aenescentibus, fronte virescente, thoracis disco, medio transverse obscurato. Elytris viridibus, externe in depressione posthumerali paullo aeneo- vel aureonotatis. Capite convexo, fronte alutacea, parte interoculari frontis latitudine paullo longiore. Vertice minute irregulariter punctato. Fronte antice poris quattuor (mediis duobus approximatis) notato. Thorace longitudine plus quam duplo latiore, in basi summum latitudinis attingente, in tertia parte basali parallelo, dein versus anticem satis fortiter rotundato et attenuato; postice, ante basi fortiter transverse depresso; angulis posticis carina forti, brevi, recta, acuta praehumerali notatis; carinis his desuper visis convergentibus. Elytris latitudine 2½ longioribus, usque ad tertiam partem apicalem parallelis, dein rotundatim attenuatis et minute serrulatis, convexis, depressione basali intrahumerali et laterali posthumerali notatis, superficie sparse, irregulariter, versus posticem evanescenter punctis elongatulis punctata. Corpore subtus pedibusque nigris.

5. **Callimicra Škrlandti** n. sp.

Hab.: Brasilia: Passa Quatro. Long.: 3·8, lat.: 1·5 mm.

Species nigerrima, nitida, fronte alutacea, viridi, angulis anticis thoracis viridicyaneis.

Speciei C. nigrae Kerr. (cum Cotypo huius species comparata) simillima, sed angustior, minor, capite latiore, minus convexo, medio nullo modo impresso, fronte latitudine distincte (in parte interoculari) longiore — apud nigram fronte nigra atque parte intersculari satis lata, longitudine distincte latiore; poris mediis ambobus postepistomalibus fere coalescentibus atque porum unicum maiorem formantibus — apud nigram poris his mediis distincte separatis. Thorace breviore et latiore, paullo ante basi summum lati-

tudinis attingente atque marginibus versus anticem fortius et minus regulariter attenuatis, etiam versus basim breviter, sed distincte rotundatim attenuatis. Carina praehumerali recta, brevi, parum elevata, sed distincta. Scutello maiore et longiore. Elytris forma simili, sed angustioribus.

Amico Dom. P. Václav Škrlandt, entomologo Pragensi, in honorem denominata.

6. **Callimicra janthinula** n. sp.

Hab.: Brasilia: Minas: Mar de Hespanha. Long.: 4·7, lat.: 2·2 mm.

Species unicolor, supra laete cyanea, corpore subtus, antennis pedibusque nigris. Satis brevis, lata, ovalis, modice convexa.

Illae Call. cyanipenni Kerr. (cum Cotypo huius speciei comparata!) valde affinis et similis, sed multo latior et robustior, fronte distincte breviore et latiore, medio profundius impressa, capite distincte latiore, minus convexo et minus producto. Thorace multo latiore, in quarta parte basali subparallelo, dein versus anticem multo fortius atque in linea fere recta attenuato, antice late et profundius emarginato, carina praehumerali recta, parum distincta, depressione lateroanteriori minus impressa. Elytris latitudine solum circiter 1½ longioribus, apice latius et brevius rotundato, margine lateroposteriori minute serrulato. Punctura superficiei simili quam apud C. cyanipennem.

7. **Callimicra amicalis** n. sp.

Hab.: Brasilia: Sao Paulo: Jaro Mráz lgt. Long.: 3·8, lat.: 1·3 mm.

Corpore subtus, antennis pedibusque nigris, corpore supra obscure cyaneovirescente, glabro, nitido.

Speciei C. paulensi Obenb. simillima, eadem forma, etiam colore satis simili, sed signis sequentibus gravibus divergens: Capite minus lato, convexo, fronte medio leviter impressa, spatio interoculari frontis angustiore, latitudine circiter 1¼ longiore (apud paulensem latitudine et longitudine fere aequalibus); in parte postepistomali poris foveiformibus parvis duobus lateralibus et duobus mediis valde approximatis notato — apud paulensem foveis mediis transverse dispositis, fossulam quendam transversalem, utrimque epistoma acute a fronte separantem, efficientibus. Fronte subalutacea (apud paulensem laevi); thorace forma generali simili, sed margine antico solum leviter emarginato, angulis anticis nullo modo prominentibus, depressione transversa profundiore atque usque ad angulos posticos producta itaque carina praehumerali hic in angulo ipso postice nascente — apud paulensem a margine spatio angusto separata. Thorace in tertia parte basali summum latitudinis attingente, versus anticem in curva magis convexa rotundato. Parte media lata thoracis indistincte obscurata, nigra. Scutello viridi. Sculptura thoracis parum distincta. Elytris forma simili, sed apice longius attenuato et rotundato, punctura a medio versus apicem evanescente.

8. **Callimicra Iheringi** n. sp.

Hab.: Brasilia: Estado do Rio: Itatiaya. Long.: 4·1, lat.: 1·3 mm.

Subtus nigra, supra obscure viridicyanea, micans. Speciei praecedenti (amicali m.) maxime similis, sed paullo latior et robustior, capite minus lato, oculis minus convexis, medio frontis lineatim impresso, fronte multo latiore, (fere uti apud paulensem), poris quattuor anterioribus postepistomalibus frontis multo maioribus, praecipue illis externis magnis; tho-

race minus lato, longiore, carina praehumerali uti apud illum amicalem in angulo postico thoracis nascenti, carina hac brevi et parum distincta: thorace in quarta parte basali summum latitudinis attingente, versus anticem in linea fere recta atque fortius quam apud amicalem attenuato. Elytris forma et sculptura fere simili, humeris magis prominentibus. Thorace medio nigrescente.

9. **Callimicra Bartoňi** n. sp.

Hab.: Brasilia: Sao Paulo. Rio: Itatiaya. Long: 4—4·4, lat. 1·5—1·7 mm.

Species elongata, satis gracilis, colore supra laete viridiaeneo, scutello virescente, thorace medio nigrescente.

Corporis forma illae C. paulensi Obenb. valde affinis atque signis sequentibus divergens: capite angustiore, alutaceo, fronte angustiore, spatio interoculari frontis latitudine distincte longiore, post epistomate serie transversa e poris quattuor composita notato, poris ambobus mediis valde approximatis atque illis omnibus fossula minuta transversa iunctis. Thorace convexo, nitido, ante basi utrimque transverse impresso, depressione usque ad angulos posticos producta atque carina praehumerali usque ad angulum posticum repulsa; carina illa brevi et lateraliter solum paullo distincta, desuper visis his carinis convergentibus; thorace in quarta parte basali summum latitudinis attingente, dein versus anticem in curva longa parum arcuata satis fortiter attenuato, sparse subtiliter punctato; margine antico solum leviter emarginato, angulis anticis acutis et satis prominentibus. Elytris latitudine 2⅓ longioribus, satis convexis, depressionibus discalibus nullis, solum in basi depressione infrahumerali et impressione longula posthumerali notatis, usque ad medium parallelis, dein leviter subdilatatis et versus basim longe curvatim rotundatis, apice ipso late rotundato et serrulato; superficie antice grosse, postice mediocriter, sparse punctata. Corpore subtus nigro, pedibus virescentibus, antennis laete viridibus.

Dom. Cyrill Bartoň-Dobenín, Musaei Nationalis Pragae Fautori Maecenatique optime merito in honorem denominata.

10. **Callimicra scintillans** n. sp.

Hab.: Brasiila: Sao Paulo (Jaro Mráz lgt.); Rio: Itatiaya. Long.: 4·2—4·5, lat.: 1·4—1·7 mm.

Capite thoraceque aureis, fronte virescenti, scutello obscure aenescenti, elytris laete coeruleis, corpore subtus, antennis pedibusque nigris. Corpore satis elongato, superficie glabra, valde nitida.

Illae Cal. lucidae Waterh. similis atque ab illa, uti sequitur divergens:

Capite maiore, multo latiore, fronte alutacea, spatio interoculari frontis latitudine solum perparum longiore; fronte medio minus profunde impressa, subtilius et sparsius punctata. Thorace latiore, paullo ante basi summum latitudinis attingente atque lateribus versus basim paullulo, sed distincte, versus anticem curvatim attenuatis. Carina praehumerali utrimque non de ipso angulo postico, uti apud lucidam nascente, sed magis interne posita, spatio inter illa atque inter basi marginis thoracis satis lata, carina hac a margine laterali remota. Elytris latitudine circiter $2^2/_5$ longioribus, satis robustis, apice breviter rotundato, lato, subtiliter serrulato, superficie, praecipue antice fortius punctata, humeris magis elevatis et violascentibus.

11. **Callimicra caesarea** n. sp.

Hab.: Brasilia: Amazonas. Long.: 3·8, lat.: 1·5 mm.

Speciei praecedenti (= C. scintillans m.) simillima, eodem colore,

solum scutello nigro; forma breviore et latiore, elytris versus posticem longius curvatim attenuatis, atque signis sequentibus divergens: capite latiore, minus convexo, fronte nullo modo alutacea, poris anterioribus frontis, praecipue illis mediis ambobus multo minoribus, thorace multo nitidiore, punctura thoracis subobliterata, depressione transversali praebasali thoracis angustiore thorace elytris distincte latiore, angulis posticis obtusatis et rotundatis, carina praehumerali parum distincta, recta atque a margine multo magis remota, thorace lateraliter versus angulos anticos anguste sed distinctissime deplanato, antice minus profunde emarginato, parte magna media anteriore magis elevata, nitida, solum valde sparse et subtiliter punctata, rugis vel striolis uti apud scintillantem nullis. Elytris post medio nullo modo dilatatis,, usque iam a medio versus apicem longe curvatim attenuatis, versus latera antice obsolete late subrugatulis.